



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Sect. Vlt. Argumenta adversaria solvuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

praemia, & supplicia probis, & prauis: quomodo ergo non vrbē, sed orbem, non ciuitatem paucorum, sed vniuersitatem rerum hoc tam necessario bono priuat: praecipue cum videas honestam operationem esse meritum, cui quod praemium assignas: scelera, & crimina demeritum quibus si rationaliter loquaris supplicia debes proponere; tandem, qui semel hac infana mente effudit, omnes virtutes funditus labefactat, quod ipsi lumini naturali repugnat, ac proinde id quod asserit Atheista omni rationi contradicit, cum ipsoque naturae lumine aperto Marte pugnat. Quae omnia ad huc epilogum demonstratiuum reducuntur, quia euidenter est euilibet esse peccata contra dictamina naturae rationalis, & virtutis actus oppositos, sed etiam euidenter est peccata digna esse supplicio, & virtutem praemio: ergo euidenter est esse aliquem superiorem, qui in hac naturali lege praesidet, & facta quilibet perpendat, quia saepe haec occultissima sunt & suo tempore puniunt, si mala sunt. Pater hac consequentia, quia dictamen rationis contra quod est peccatum, & cui confirmatur virtus est lex naturalis, sed lex sine legislatore, & superiore constare non potest; in humana enim Republica bene ordinata esse debet aliqua potestas ad quam pertineat facere vt leges illius impleantur: ergo in naturali Republica aliquis superior praesidet toti naturae, qui iudex sit, & superior respectu illius.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta aduersaria soluntur.

238 **A**D primum argumentum respondeo, licet creaturae non sint medium proportionatum ad intuitum cognoscendum, & videndum Deum, nihilominus tamen esse proportionatum ad abstractiue cognoscendum euidenter existentiam Dei, seu Deum quoad an est, quia omnis effectus est proportionatus ad indicandam euidenter suam causam, ratione illius principij, quidquid producit ab alio producit: sed omnis creatura est effectus Dei, quia omne ens participatum, & secundum dependet ab imparticipato, & primo ente: ergo omnis creatura est euidenter proportionata vt sit medium demonstrationis ad probandum dari Deum; nam creatura habet existentiam & entitatem, quae licet ratione differentiae excedatur à Deo, nihilominus ratione existentiae entis vt sic aequaliter & vniuoce conuenit cum existentia, & entitate Dei, in quo est proportio sufficiens. Deinde Diuus Thomas respondet his verbis 1. part. quaest. 2. art. 3. ad tertium, dicendum quod per effectus non proportionatos causam, non potest perfecta cognitio de causa haberi: sed tamen ex quocunque effectu potest manifeste nobis demonstrari causam esse, vt dictum est, & sic effectibus Dei potest demonstrari Deum esse, licet per eos non perfecte possimus eum cognoscere secundum suam essentiam.

239 Ad primam confirmationem respondetur demonstrationem ex creaturis non procedere ex earum actuali existentia, tanquam ex principio, sed tanquam manuuctione ad colligendam existentiam aptitudinalem: ex qua fieri potest demonstratio procedens ex simpliciter necessitatibus, vt ait Scotus in 1. d. 2. q. 2. §. quantum ad primum, in responsione ad secundam instantiam, & Mayron. q. 3. in fine: necessarium quippe est dari

entia aliqua capacia existentiae causabilis & ipsa experientia euidenter notum: quin vero ad demonstrationem physicam satis sunt principia, quae contineant physicam necessitatem, qualis censetur ipsa actualis rerum existentia: & ita concedi posset cum Heruazo citato demonstrationem, quae procedit ex existentia, procedere ex necessitatibus. Quando vero dicitur connexionem creaturae cum Deo esse contingentem, similiter distinguendum est de actuali, & aptitudinali, & quamuis actualis tolli possit desinente creatura, aptitudinalis nequaquam: dependentia enim creaturae à Deo, vel est substantia ipsius, vel inseparabilis proprietas, quae proinde creatura existens ex vi nequit: quomodo actualis dependentia comparata cum creatura actualiter existente necessaria simpliciter est, nec vlla virtute separabilis. Respondet secundo cum Alberto in 1. d. st. 3. art. 1. ad quartum, & art. 2. ad tertium, vt ex vno demonstratione inferatur aliud, non requiri mutua necessitatem connexionis ex vtraque parte sed ex ea, à qua sumitur argumentum: & ita inter creaturam, ac Deum dari necessariam connexionem, non ex parte Dei, quoniam esse potest absque omni creatura, sed ex parte huius, quae si est, necessario pendet à Deo, atque adeo ex eius existentia necessario & euidenter colligitur existentia Dei.

Ad secundam confirmationem respondetur, discursum ex creaturis non assumere pro medio dependentiam à Deo, sed existentiam absolutam ipsarum: ex qua deinde per disunctionem sumitur, quod talis existentia vel sit ab ipsis creaturis, vel ab aliquo alio, & per exclusionem prioris membri tandem longo discursu concluditur, quod sit ab vno alio primo, & quod hic sit Deus: & ita concedendum est ex sola existentia creaturarum absque aliis principiis assumptis non demonstrari esse Deum; quemadmodum ex sola existentia lucis, vel alterius effectus non agnoscitur sol, aut alia causa, nisi praecesserit experientia, quod effectus ab illa causa procedat: & quod in his effectibus facit experientia in creaturis respectu Dei facit discursus intellectus; ad id vero, quod obicitur praenotionem habitudinis ad causam iam innolere notitiam causae: Respondetur, si habitudo cognoscatur, vt innotuit extrema certa, ac determinata necessario innoluit notitiam extremorum: at, si ex altera parte sumatur, vt terminata ad extremum incertum, ac indeterminatum, non opus esse, vt adsit certa, ac determinata notitia illius, verbi gratia, si cognoscatur Salomon esse filius alicuius hominis, non exigitur vt cognoscatur esse Filius Davidis: similiter in discursu, quod Deus ex creaturis demonstratur id, quod primo ac per se ostenditur, est dari causam aliquam primam, à qua creaturae omnes dependent: & proinde nondum habetur notio Dei determinate, sed in confuso, & generali: postea vero alio discursu concluditur hanc causam non esse aliam, quam Deum, & ideo non datur circulus nec impossibile est Deum ex creaturis agnosci.

Ad secundum argumentum etiam militat aduersus eos, qui ducunt ex creaturis solum probabiliter cognosci Deum: nam ipsi quoque respondere debent, quo usque ea notitia progrediatur, extendaturne ad omnes, an ad aliquas tantum perfectiones Dei; respondeo autem in primis negando consequentiam: nam licet admitterem cognoscet in via quoad questionem an est, perfectiones omnes absolutas Dei, non proinde sequitur habere hominem notitiam diffinitiuam Dei: ad hanc

enim non fat est cognitio an est, singularum perfectionum, sed requiritur propria cognitio, quid est, secundum proprias, ac formales rationes singularum; nos autem ex effectibus non cognoscimus perfectiones diuinas prout in se sunt, sed per quandam analogiam ad nostras: & ideo recte ait Magnus Dionysius in lib. de diuin. nomin. cap. 1. Deum nec esse vitam, nec substantiam, nec intellectum, intelligendo nimirum secundum eas rationes vitæ, substantiæ, & intellectus, quas nos agnoscimus: cum itaque singulas perfectiones non diffinitive, sed solum quod sunt agnoscat, & si omnes hoc modo agnosceremus, non proinde haberemus notitiam quidditativam Dei. Respondendo secundo, negando secundam partem assumptionis, non enim ex eo quod vnum attributum demonstratiue agnoscat, sequitur omnia posse cognosci: ad priorem eius probationem respondeo, esto perfectiones omnes diuinæ essent imitabiles à creaturis omnibus in eius omnipotentia contentis collectivè sumptis, de quo non est hic disputandi locus, non tamen esse imitabiles à singulis: nam vitæ expertia non participant vitam: nec plantæ aut animantes intellectum, & ideo quamvis homines agnoscerent creaturas omnes, quæ in hoc rerum ordine à Deo conditæ sunt, adhuc supersunt infinitæ aliæ, inter quas fortè sunt plurimæ perfectiones, quæ eis carent creaturæ conditæ à Deo: quare licet omnes agnoscantur, non proinde sequitur agnosci omnes perfectiones diuinas.

Ad secundam eiusdem partis confirmationem respondeo in primis negando consequentiam, non enim semper intellectus noster potest discurrendo attingere omnia ea, quæ naturalem habent connexionem: nam Trinitas personarum diuinarum est necessario connexa cum essentia diuina, & hanc cognoscimus naturaliter, illam ignoramus; res naturales habent plurimas proprietates, quarum alias assequimur, aliæ fugiunt aciem mentis nostræ: id vero maxime contingit quando solum habemus notitiam, quod est quæ sola apprehendimus perfectiones diuinas: & hæc est ratio, cur in creatis ex quibusdam proprietatibus alias cognoscimus, nimirum quia non habemus solum cognitionem quod sunt Respondendo deinde diuina attributa, & si omnia necessario connexa sint in essentia diuina, tanquam in radice, non tamen opus esse, ut omnia inter se habeant ordinem rationis, & prioritatis vnius ad aliud: nam si comparatur simplicitas cum sapientia, neutra est ratio alterius: quanquam itaque is ordo in aliquibus intercedat non reperitur in omnibus, atque adeo ex hoc capite minime sequitur cognitio vno, cetera omnia debere necessario cognosci.

242 Dices ad omnem demonstrationem supponi notitiam saltem simplicem subiecti, ideo enim Philosophus lib. 1. Posteriorum. initio, docet de subiecto prænotandum esse quid nominis; & quamvis non raro hæc prænotio ex usu, & doctrina habeatur; tamen, si ponamus Adamum quando primum à Deo creatus est, non accepisse vllam Dei notitiā per se, vel per accidens infusam, eamque debuisse mendicare ex creaturis, ante discursum ad id necessarium ex suppositione non posset habere simplicem notitiam Dei, eam non acquireret per discursum, hic enim terminatur ad iudicium supponens simplicem apprehensionem: ergo esset absolute impossibile, ut ex creaturis demonstraret esse Deum.

Respondendo argumentum hoc non habere peculiarem vim ad impugnandam traditam doctrinam: nam etiam mentem nostram cognoscimus ex ipsius affectibus non præsupposita specie illius; item illi qui aiunt ex creaturis solum probabiliter colligi esse Deum, tenentur dicere quomodo ad iudicium illud probabile præsupponatur cognitio simplex Dei, quia tamen longior huius dubij explicatio expectat ad alium locum breuiter respondeo, species ipsas, & notitias creaturarum inferuire ad formandum conceptum Dei: verum etiam non formati primo à nobis sub esse determinato, sed sub comuni aliqua ratione, ut paulo ante dictum est: notitiam vero eius rationis communis præcedere discursum, verbi gratia si homo ex rerum naturalium consideratione videat alias gigni, ac dependere ab aliis, ex hoc sumit notionem causæ & effectus; deinde ulterius progrediendo inquit, an omnia fiant ab aliis, an verò sit aliquid ens, à quo cetera pendeant, & ipsum sit à se omnino independentis quod postquam per discursum concludit, coniungens rationes illas, & ens, format conceptum entis independentis, & necessarij, causæ primæ, & similibus, quo describit suo modo Deum.

Ex quibus patet responsio ad argumentum, dicendum quippe est doctrinam Aristotelis intelligendam esse de communibus demonstrationibus usurpatis in scientia, quibus ostenditur passio de subiecto præsupposito, de quo prænotandum est quid sit quoad nomen, & quod sit: at in demonstratione, qua inquiritur an sit, neutram suppositionem esse necessariam: non secundam, ut patet, quia id quod quaeritur, non supponitur: non item primam sub proprio, ac determinato conceptu, sed fat est prænotare communes quasdam rationes, quæ deinde applicatæ subiecto reddant rationem illi soli convenientem; in forma autem dico, in suppositione argumenti non posse præsupponi determinatum conceptum Dei, & consequenter in primo discursu non concludi absolute esse Deum, sed esse ens aliquid segregatum à ceteris, principium, & causam omnium, & à nullo accipiens esse: quorum omnium terminorum simplices apprehensiones præcedere poterunt ante eum discursum ut consideranti patebit: & ita discursus ille supponit quid nominis terminorum, qui coalescunt in conclusione in rationem vnius subiecti: terminatur vero ad assensum, quo mens iudicat dari eiusmodi ens: ex quo deinde facile est imponere illi nomen vnum respondens vnicæ apprehensioni, quæ confusè formari potest ex coniuncto illarum rationum; opponitur etiam contra nos authoritas Arnobij lib. 1. aduersus gentes, paulo ante medium: ibi, quid ergo res tantas, &c.

Ad authoritatem hanc Arnobij respondeo, mentem eius non esse, ita per se notum esse quod sit Deus, ut nullo modo demonstrari queat: alioquin non ibidem dixisset cum Deo loquens: [Non est mirum si ignoraris: maioris est admirationis est sciri:] nam quomodo dignum admiratione est scire id, quod adeo per se notum est ut probatione non egeat? solum ergo vult non opus esse longa dispositione ad id probandum: quod facillè ex lumine naturæ & ipso mundi aspectu, & contemplatione potest agnosci. Nec vero Arnobius ait non posse propter euidenciam probari esse Deum, sed solum esse periculosum: quasi is, qui hoc probare aggreditur indubium reuocare videatur veritatem adeo perspicuam. Ad argumentum

Quaest. II. An Deus sit infinite perfectus. 183

rum Aegidij neganda est sequela: nam licet ex natura rei non sit distinctio inter Deum: & esse ipsius, tamen respectu nostri intellectus concipi-entis deum ut subiectum, & esse ut formam ipsius, est distinctio sufficiens subiecti, & praedicati propositionis non identica, quae facta est, ut id, quod demonstratur, non dicatur idem prorsus cum eo, de quo demonstratur; Quamvis autem apud Philosophos non sit frequens usus demon-strandi substantiam aliquam, esse tamen de sub-stantiis separatis interdum id demonstrant.

Nec vero satisfacit solutio Aegid. eamque be-ne impugnatur Heraeus in 1. d. 3. q. 1. §. ista opi-nio, in fine, non enim intentio Philosophi lib. 8. Physic. aut 11. Metaphys. est declarare, quid no-minis Deus, sed ostendere esse substantiam ali-quam immaterialem, primam, aeternam, & increa-tam; neque, ut iam alibi ostendi, verum est, posi-ta illa explicatione nominis Deus, statim ex ter-minis sciri ipsum esse, solutio quoque Abulensis, & Argentin. non satisfacit: nam Philosophus ex creaturis, ac motu procedit ad agnitionem Dei: in quo discursu prius peruenitur ad notitiam vnius motoris immobilis, & vnius causae primae, quam ad agnitionem Dei sub hoc nomine, & conceptu; etenim motui formalis ac propinquius respon-det ratio primi motoris, & effectibus ratio pri-mae causae, quam ratio Dei sub hoc nomine & conceptu: & ita ex discursu per creaturas prius cognoscitur Deus sub ratione primae causae, & primi motoris, quam sub ratione deitatis: & ideo demonstratione à posteriori Aristoteles demon-strat Deum esse, quia est primus motor & causa prima, nec absque probatione supponit Deum esse: imo 12. Metaph. text. 3. & 36. ex eo quod sit aliquid motum non mouens, & aliud mouens, perpetuo motum, concludit esse primum moto-rem immobilem: quem deinde ait debere esse aeternum, substantiam & actum, quae omnia à po-steriori colligit ex motu.

QVÆSTIO II.

Utrum Deus sit summe, & infinite perfectus

CONCLUSIO: Deus summus & infinite perfectus est. Probatum primo Authori-tate Philosophorum, qui hanc verita-tem tradiderunt, quorum primus sit Aristoteles lib. 9. Ethicorum, cap. 4. ibi: [Deum habere summum bonum, quod non est aliud à Deo distinctum, sed sibi ipse summum bonum est.] & lib. 12. Metaphysicæ infinitum pelagus omnium perfectionum appellat; ac tandem lib. 2. magnorum moralium, ait: [absurdum est ut se quidquam melius habeat Deus] cuius vestigiis insistent Seneca, in praefatione librorum quaestionum natura-lium, hac verba profert: [quid est Deus? mens vniuersi. Quid est Deus? quod vides totum, & quod non vides totum; sic demum magnitudo sua illi redditur, quam nihil maius excogitari potest;] nec minus eleganter Cicero lib. 1. de na-tura Deorum, hunc scopum recta collimat his verbis, [ea est Dei vita qua nihil beatius, nihil omnino bonis omnibus affluentius excogitari potest.]

Hanc etiam veritatem sapientissimi Doctores Ecclesiae, quorum agmen primus ducat Angusti-nus libro 1. de moribus Ecclesiae catholicae, cap. 1. ibi:

[ubi ad diuinas peruenitum est aucter, se se in-tueri non potest, palpat, aestuat, inhiat amore; reuerberatur luce veritatis, ad familiaritatem tenebrarum suarum non electione, sed defatiga-tione conuertitur. Ergo refugere ad tenebrosa in-cipientibus per dispensationem ineffabilis sa-pientiae nobis illa opacitas, autoritatis occur-rat, & mirabilibus rerum vocibusque librorum veluti signis temporariis veritatis umbrisque blandiatur, utpote, qui solo lumine naturali in-tellectus, & propria industria, atque discursu quid infinitarum perfectionum viuus, & liqui-dissimus fons & immensum mare, ac interminum pelagus Deus sit assequi non possumus eius ma-gisterio ex parte saltem addiscamus:] vnde ipse Cherubicus Doctor lib. 5. de Trinitate, cap. 1. [In-telligamus ait] Deum si possumus quantum possu-mus quisquis Deum ita cogitat, & si nondum po-test omnino inuenire quid sit, pie tamen cauet quantum potest aliquid de eo sentire quod non sit, & sanctus Anselmus de incarnatione Verbi, c. 1. sic loquitur, [quia est summum, bonum hoc enim est, quod sic praestat aliis ut nec par habeat nec praestantius] & in prologo, cap. 15. [ergo inquit] Domine es quiddam maius quam cogitari possit.] & S. Bernard. libro 5. de consideratione ad Euge-nium, [quid est inquit] Deus quo nihil melius cogitari potest denique Damascenus lib. 1. fidei, c. 4. dixit [Deum esse supra omnia quae sunt, atque adeo supra ipsum esse] item Dionys. de diuinis no-minibus, cap. 1. fere initio, de Dei natura agens, [ignorationis inquit] summæ eius essentiae, ac naturae, quae omnem orationem, sensum, essentiam-que vincit, scientiam ei tribuere debemus, [S. Na-zian. oratione 45. post med. certe inquit] hoc est Deus, quod cum dicitur, non potest dici cum æsti-matur, non potest estimari, cum definitur ipsa de-finitione, crescit quem omnia nesciunt, & me-tuendo sciunt, [Origen. lib. 1. perierc. cap. 2. [quid inquit] in omnibus intellectualibus tam praestans omnibus, tam inestimabiliter atque ineffabiliter praecellens est quam Deus:] S. Chrysostomo in id Psalm. 47. [magnus Dominus, & laudabilis nimis, magnus inquit] dicunt, sed quam magnus non dicunt, hoc enim nemo scit, & ideo subiunxit, & laudabilis valde, non enim est finis eius magni-tudinis. Quod autem dicit, est ei smodi, oportet cum tanta gloria afficere, & laudare id quod supra om-nem modum] Theodoretus Episcopus Ancyrae co-mo 6 Concilij Ephesini, cap. 10. [Diuina inquit] natura humanae mentis caput effugit sublimior, est quam, quae nostro attingi queat.

Tertio manifestissime hanc veritatem scriptura ipsa aperte demonstrat, Ecclesiastici enim 43. sic dicitur glorificantes Dominum quantumcumque potueritis, superualebit enim adhuc, & admirabi-lis magnificentia eius benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis: maior enim est omni laude exaltantes eum replemini virtute nec laboretis: non enim comprehendetis quis videbit eum, & enarrabit, & quis magnificabit eum sicut est ab initio: multa abscondita sunt maior his: pauca enim vidimus opertum eius, omnia autem Dominus fecit, & pie agentibus dedit sapientiam.] Docet Ecclesiasticus omnino esse supra captum, & vires nostras magnitudinem, & laudem eius, nihilque proinde gloriosum dici, aut fieri po-tere, quod Deo non quadraret, imo quidquid dica ut ni-hil esse comparatione tanta gloriae, vnde Pa-phraasis Chaldaica iure optimo initium Psalmi 65. [Te decet Hymnus Deus in Sion] ita vertit [co-ram te reputatur, sicut silentium laus.]

Hoc